

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0873

0871

0877

0867

0882

0862

0922

0822

0972

0772

300

potenter parare coeperunt, et cum iam procedendum esset,
patriarcha Jerosolymitanus cum magna humilitate cleri et po-
puli tollens reverenter viviscae crucis lignum profectus est in
castra Domini. Fuerat enim ea pars crucis sanctae divisa,
quae reperta in templo fuerat tempore gloriosi Gothfredi primi
regis Jerusalem, et una pars manebat semper in templo, altera
ducebatur in castra ad bella, et illam cepit Saladinus cum
Guidone ultimo rege Jerusalem, ut superius dictum est, et
postquam perdita fuit, acceperunt Christiani reliquiam sanctae
crucis partem et in ea bellabant.

Itaque cum tali vexillo aciebus ordinatis processerunt
contra locum, in quo dicebatur Sarracenorum multitudo esse,
et eo animo ibant, ut pugnarent cum infidelibus. Sed illi, ut
eorum adventum per exploratores cognoverunt, formidantes
fugerunt, nostri vero absque contradictione ingressi sunt in
Galilaeam provinciam multa damna hostibus inferentes et co-
nati sunt castrum montis Thabor capere, sed multo labore
habito consiliis quorundam obsidio castri soluta fuit et reversus
est exercitus domum in Acon, quia hiems erat et tempus
bellandi praeterierat. Transacta hieme iterum exercitus Chri-
stianorum arma sumere contra Sarracenos coepit, sed peccatis
nostris exigentibus exercitus noster quadrifarie divisus est:
nam rex Hungariae cum magno Christianorum damno navibus
aptatis ad propria revertebatur et magnam partem peregrino-
rum cum galeis et apparatu bellico secum traxit nec patri-
archae revocationem attendit. Quapropter in eum et in omnes
sequentes eum sententiam excommunicationis promulgavit.
Quaedam vero peregrinorum portio, aut timore aut deliciis de-
liniti, nullo modo urbem Aconensem egredi volebat. Rex vero
Jerusalem et dux Austriae cum suis baronibus et Theutonicorum
magna parte et militia sancti Johannis quoddam castrum in
Caesarea Palaestinae firmaverunt, nec averti potuerunt, quam-
vis saepe nuntiaretur eis hostium adventus. Templarii vero una
cum domo et militia hospitalitatis Theutonicorum castrum filii
Dei olim destructum reaedicare aggressi sunt, cuius dum fun-
damenta jacerentur, murus quidam antiquus et spissus apparuit,
quem instrumentis ferreis effodientes quasdam monetas aureas
in magna copia repererunt, cuius inscriptio et figurae modernis

0372

Ende

Anfang

